DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HIPOCHONDRIASIS CAUSIS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS CUPPLES,

HIBERNUS.

Certum est, deliberatumque, quae ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. CICERO ORAT.

[illegible]d diem 12. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASIS CAUSIS.

"VENTRICULI functio idiopathice turbata per anorexiam, nauſeam, vomitum, inflationem, ructum, ruminationem, cardialgiam, gaſtrodyniam, et alvum plerumque adſtrictam, indicata *, cum languore, torpore, metu, et moeſtitia †, in temperamento melancholico ‡," eſt morbus, antiquo notus, recentiore aevo fuſius tractatus, nomine Hypochondriaſis. De qua, cum ob frequentiam ejus, tum quod eorum, qui

A curantur,

* Cull. Gen. Morb. G. XLIII.

† Ibid. G. XLIV.

‡ Haec verba in definitione omiſſa, in praelectione auctor implevit.

curantur, magnam vitae partem exercens, et, poſtquam aliquam petivit, nunquam fere ex toto decedens, aſſiduam fere et longam medici operam ſibi vindicat ; ideo, quae nota mihi aut aliunde accepta ſunt, exponere operae pretium duxi. Sed cauſis ejus contentus ero ; quarum, cum minus accurate vulgo tractatae videantur, in ratione colenda paulo plus ſolito laboris ſumendum putavi. Quod ſi bene fecero, curationis, quae tota fere in adminiſtratione et illis vitandis conſtat, cognitio aut ſponte ſequetur, aut, aliunde petita, a legente facile ſupplebitur. Toti doctrinae hyſtoria ſymptomatum praeponetur, ne res verae, quibus rationes noſtrae aut refellantur aut confirmentur, deſint. Seminium tale tradetur, quale aliis, et praecipue Culleno illuſtri, ex evidentibus rebus ſumptum, placuit : Sed cauſarum ejus poteſtatumque nocentium commune opus, paulo aliter, ac ante forſitan, et certe diligentius, explicabitur. Quae explicatio, quo clarior et illuſtrior ſit, non ſolum cauſae remotae, prout ſeminium aut poteſtates nocentes ſint, ac-

accuratius distinguentur, sed ab his, quae cum iis male confundi solitae sunt, aliae noxae, seminii causarum titulo, secernentur. Quo fructu quove commodo id factum fuerit, aliorum sit judicium.

HISTORIA MORBI.

Quoniam symptomatum, sive definitione receptorum, sive fusius deinceps tradendorum, hic fere ordo est, ut primum ventriculus et intestina perpetuo, dein saepe pectus, afficiantur, tum caput, postremo animus, labis fiat particeps; igitur in historia contexenda illum ordinem servabo.

Ut cibi desiderium saepe justo minus, aliquando nullum, aliquando etiam ad fastidium et nauseam; ita, e contrario, nonnunquam praeter naturam, est, et non solum insolita sed aliena appetuntur. Nausea ad justum vomitum haud raro assurgit. Ructus perquam acidus est, rejectaeque vomitu sordes adeo acres sunt, ut materiem linteam rodant. Praeter has, est ubi justi cibi frusta in os rejiciuntur;

ciuntur ; quod ruminationem diximus. Cardialgia, ſeu ventriculi morſus, peculiaris quidam in ventriculo moleſtiae ſenſus eſt, experto bene notus, experti ejus nullis verbis explicabilis. Is potiſſimum tum incidit, cum acidus ſtatus ſubeſt. Gaſtrodynia, quae " in regione ventriculi dolor notabilis et conſtans" eſt, diverſus a cardialgia et " ſine pyrexia *," praecipue, inflato et diſtento ventriculo, incidit. Omnia haec et plura, quibus haud memoratis opus eſt, hypochondriaſi cum dyſpepſia † communia ſunt. Sed numquam ſolus afficitur ventriculus: Inteſtina ſimul laborant. Quibus cum illo communis plerumque inflatio ſubeſt. Et abdomen, interdum alibi, interdum circa umbilicum, ſed praecipue ſub coſtis ſpuriis, diſtentum intumeſcit. Necnon durior magiſque diſcretus tumor in hypochondrio ſiniſtro ſaepe quoque deprenditur. Hoc ubi fit, et ſaepe alias, in iiſdem locis murmura, flatu non

* Sauvag. Noſ. Meth. Cl. VII. Ord. IV. G. XXI.
† Cull. Gen. Morb. G. XLIII.

non ſolum ſupra, ut dictum jam eſt, ſed etiam infra emiſſo, aliquando retento, percipiuntur. Ibidem eodemque, quo haec fiunt, tempore dolores acuti, cruciatus, contortioneſque, graſſantia, crepitu modo relato aut exonerata alvo remittentia, brevi tamen, et aucta ſaepe ſaevitia, redintegrantur. Alvus, quae paucis conſtantius fluit, aliquibus modo fluit, modo retinetur, pleriſque pertinaciſſime conſtringitur. Quin per eandem, cruda quoque, iis ſimilia, quae ore rejiciuntur, cum murmure quandoque efferuntur. Urinae plerumque hypochondriacorum nihil ſecus accidit; quae diluta, et lympida, hyſteriae, copioſa, diabetis, arenam trahens, nephritidis calculoſae, ſignum magis proprium eſt.

Haec canalis alimentarii ſymptomata magis aut minus conſtantia ſunt, a juſta omni hypochondriaſi non ſeparabilia.

Verum morbi quandoque vis thoracem etiam affectat: Qui anguſtus coarctatur, et veluti oppletus ſentitur. Intraque eum inſtrumenta vitalia tentantur. Cor tumens palpitat. Quod tamen ſignum, ut et id ſequen-

quentes, animae defectiones, quae aliquando in hypochondriaſi apparent, item citi hecticorum more pulſus, ad mobilitatem hyſtericam magis pertinent. Contra, pulſus imbecilliores, quam pro naturae modo, quod plerumque fit, hypochondriacam naturam magis exprimunt. Spiritus difficilis et minimo quoque motu anhelus, aliquando juſti aſthmatis, etiam circuitibus repetentis, acceſſiones refert. Quod minus quoque purae hypochondriaſis, magi'que cum aſthmate mixtae, indicium eſt. Similiter mixtae naturae, ſed ad hyſteriam inclinantis, ſignum eſt faucium conſtrictio. Plures globi hyſterici notae, quando in eo, qui alioquin hypochondriacus eſt, apparent, etiam impuriorem hypochondriaſin, et magis cum hyſteria confuſam, argumento ſunt. Crebra vero ſputa, quae in hypochondriaſi ſaepe incidunt, unde ea impliciti ſputatores dicti ſunt, haud aliena ab iis canalis alimentarii affectibus ſunt, quibus illa adeo diſtinguitur.

Poſtquam ad caput morbus aſcendit, vultus aliquando rubedine, aliquando pallore afficitur,

afficitur, et interdum, extremis frigeſcentibus, aeſtuat; eſt ubi, his calentibus, friget. Caput nunc totum, nunc dimidium dolet, aut prae vertigine circumagi quaſi ſentitur. Periculum cadendi eſt, et certus ſine adminiculo caſus, vel quaſi ebriorum titubatio: Linguae pars ſaepe cum ardore dolet. Tinniunt aures; male auditur: Oculi caligant, aridi dolent, ſimplicia quae ſint duplicia cernunt. Senſus omnes torpeſcunt. Motus ubique imminuuntur; ubique languor cum torpore eſt. Muſculi et reliqua firma ſupra modum rigeſcunt, contracti immobiles haerent, mediaque parte, ut et tendinibus, ſubito et varie ſaepe ſubſiliunt. Membra veluti contuſa, aut cuſpidibus transfixa, dolent. Inflammatiunculis crebris corpus diſtinguitur. Sudores mali profunduntur; omneſque ſecretiones pariter et excretiones vitiatae perturbantur.

Saepe incubus, ſaepe triſtia ſomnia terrent. Hinc ſomnus parum reficit, aut tantum ſopor contingit, vel etiam vigiles jactantur. Quae omnes turbae duritie alvi,

ſupra

ſupra relata, augentur, mollitie imminuuntur; quo minus e primarum viarum, ac praecipue inteſtinorum, adfectione pendere illas dubites.

Neque morbi, praecipue veterantis, vim animus fugit. Qui leviſſima quaque, vel nulla re, excitatus, inquietus, diffidens, ſollicitus, metu et moerore degravatus, omnia et maxime propriam ſalutem deſperat. Idem mutabilis, incertus, nunc dubitat, nunc flexus petita relinquit, mox repetiturus, ex praeſentium taedio alia uſque captans, nullo homine, nulla re, paulo diutius oblectatus. Laetitiae immodicae brevis mora alto et diuturno moerore luitur.

Haec corporis et animi, latius altiuſque affectorum, ſigna, aliquando, nondum multum provecto, ſaepius, ut modo dictum eſt, veterante morbo, ingruunt.

Raro in hypochondriaſi, integra omni ex parte valetudo eſt, plerumque aliquo relatorum affectuum imminuitur. Quae tamen nunc pejor, nunc melior, interdum ita commoda, eſt, ut decedere morbus videatur;

mox

mox tamen et auctior rediturus. Non tamen acceſſionibus morbus aut repentino impetu conſtat, quam lente et paulatim plerumque, ſive initio ſive poſt, accedit. Idem alias totos menſes, alias totos annos, permanet, aliquando paucis diebus ita, ut modo dictum eſt, lenitur.

Haec communia maxime hypochondriaſis ſymptomata ſunt, hic eorum fere ordo eſt. Sed, praeter ea, alia quandoque, aut eadem, alio ordine, item numero, et magnitudine variantia, apparent.

Raro ante trigeſimum quintum aetatis annum hypochondriaſis incidit, et poſtquam incepit, ad vitae plerumque finem perdurat.

SEMINIUM.

Temperamento melancholico, habitu macro, virique multo quam mulieres ſaepius, hypochondriaſi implicantur. Cujus temperamenti habituſque notae, qua corpus reſpi-

citur, ſunt cutis aſperior, craſſior, color lividior aut fuſcus, nulla genarum rubedo, aut reliqui vultus candor, quibus ſanguineum temperamentum diſtinguitur, oculorum, capillorum, qui ſaepe naturâ criſpi ſunt, et reliquorum pilorum nigredo, macies, ſaltem minor quam in ſanguineis plenitudo et nitor, venae turgentes, perſpiratio impedita, alvus dureſcere conſueta, ſanguis venoſus profundi ſolitus, dein impeditus. Quae omnia torporem inſolitum denotant.

Quem torporem animi notae memorabiliores quoque indicant. Itaque affectiones ejus pigrae ſunt. Difficilis ira motu, dein implacabilis, triſtitia, amor, odium, dolor, ultionis longa, certa cupido, ingenii acumen, acre animi judicium, ejuſdem rei aut diſciplinae ſtudium, varietas omnis diſplicens.

Haec temperamenti melancholici ſigna ad nullum morbum, ipſa melancholia excepta, quam ad hypochondriaſin, magis pertinent, nullius magis, quam ejus, ſeminium ſubſunt. Eadem dimidiam hominum partem

tem insigniunt, sed certa aetate, ea, scilicet, qua eorum exquisitorum ultimus effectus, morbus, potissimum incidere dictus est, evidentius adparent. Priore vitae parte, qua temperamentum sanguineum maxime praevalet, pauci tam exquisito melancholico tenentur, quin ad summam aliqua alterius species praepolleat. Itaque in junioribus, corporis simul et animi notae ad sanguinei temperamenti similitudinem, adque ipsum id, propius accedunt. Nec homini hoc proprium, sed cum aliis animantibus commune, animadvertitur; in genere bovino, ovino, canino, et maxime felino, conspicue. Quod ita tamen fit, ut hoc quoque vitae humanae tempore temperamentum melancholicum suis notis, quamvis minus, quam postea, luculentis, detegi tamen queat; nec unquam contrarii ita particeps sit, ut morborum huic propriorum, seminium justum praebeat. Contra, solum sanguineum hoc tempore est, quod nimium esse, et in morbos suos, quorum princeps hysteria est, erumpere periclitatur, posteriore vitae parte, qua melancholicum

licum maxime nocet, aut innoxium omnino, aut certe minus usque noxae, futurum. Cui oppositum, de quo agitur, raro ante, plerumque solo demum posteriore vitae dimidio, modum excedere, hoc excessu seminium inducere, et tandem, oblata occasione, morbum inferre solet, eoque certius et efficacius, quo vita magis provehatur.

Sic ad temperamenti melancholici naturam illustriorem reddendam, cum eo sanguineum conferendum putavi. Eodemque pertinet, quod neutrum, nisi purius, nocet, utrumque inter se mixtum salutiferam maxime corporis conditionem facit.

Jamque restat corporis conditio, in qua ejus, quod nostri propositi est, temperamenti noxa consistit, exponenda. Quae quidem firmorum simplicium rigor, potestatis inhaerentis, ac forsitan nervosae quoque et animalis, mobilitas debito minor est. Hujus dicti ratio si explicatu difficilior est, res vera tamen patet. Quodque ad hanc attinet; ut mobilitas nimia cum debilitate saepe conjungitur; quo fit, ut exiguis momentis motus

tus enormes fiant; inverſo ritu, deficiens mobilitas cum robore ſaepe conſiſtit. Quo in caſu, illi diſſimili, e magnis momentis minores ſolito motus naſcuntur. Prior caſus mobilitas aucta, poſterior imminuta, ſeu torpor, recte dicuntur. Sed, quoniam hic caſus cum robore eſt, ideo mobilitas non tam vi et efficacia, quam velocitate et proclivitate, imminui intelligitur. Nam, ſi ſimul mobilitas, ſimul robur, imminuerentur, talis caſus debilitatis cum atonia, et temperamentum, ex quo penderet, phlegmaticum, forent. A quo diverſa quoque morborum genera, quae ad noſtrum propoſitum nihil attinent, exorerentur. Cum hac imminuta mobilitate, ſeu torpore, firmorum ſimplicium rigorem conjungi, ſupra dictum eſt. Utrum vero ab hoc, an a liquore nervoſo, qui poteſtatis nervoſae cauſa eſſe intelligitur, vitiato, conditio, in quo ſeminium poſitum eſt, an ab utroque, pendeat, explicatu difficilius eſt. Sed, quatenus aut ſymptomata, aut poteſtatum nocentium, de quibus mox verba fient, effectus, aut ipſius, de

quo

quo agitur, ſeminii ſtatus, conſiderentur; hunc ab utraque noxa pendere ad credendum impelleris. Verum de ea re nihil amplius dicendum prius videtur, quam poteſtates nocentes, quarum ratio ad illam illuſtrandam pertinet, abſolvero, et ad cauſam proximam, quae quoniam eadem, quae ſeminium, conditio corporis eſt, quae de hoc dicenda ſint, facile recipit, eoque commodius, quod res verae, dicendis neceſſariae, jam ante expoſitae fuerint, pervenero. Ut in unum ſupra dicta conferam, ſeminium hypochondriaſeos eſt torpor, partim a firmorum ſimplicium rigore, partim a liquore nervoſo minus facile meando habili, pendens, ſed adhuc citra ſtatum morboſum conſiſtens, nec imminutum tonum ponens, tantumque quandam a perfecto valetudinis modulo aberrationem, quam morbum nequeas dicere, conſtituens. Eſtque idem

CAUSA

CAUSA SIMPLICITER REMOTA.

Cum ſine noxis externis, quales eae ſunt, quae, cum, ſuum ſeminii operi conjungentes, morbum excitant, poteſtates nocentes dicuntur, cauſa interna ad juſti morbi modum ſponte adſurgit, cauſa ſimpliciter remota eſt; neque a cauſa ſimpliciter remota ſic aliquando hypochondriaſin pendere dubium mihi eſt; quoties ſine hujuſmodi noxis evidentioribus, aut primum incipit, aut poſtea repetit, et cautis illis, neque tollitur, neque ſaltem ſublevatur. Porro, cauſa interna partim ſimpliciter remota, partim ſeminium erit, ſi non a conjuncto ſeminii, ſic explicati, et poteſtatum nocentium, mox explicandarum, opere, totus morbus ortus eſt, ſed ſine his ultro exiſtens, iis forte oblatis, dein adaugetur. Et ſane, quod ad cauſas remotas attinet; ut plerique morbi idiopathici hinc a ſeminio, illinc a poteſtatibus nocentibus, conjuncto opere morbum, queiſque ſuum efficientibus, oriuntur; ita in aliis altera hinc

inde

inde harum cauſarum ratio eſt; et ita quidem, ut modo poteſtates nocentes, modo ſeminium, plus valeant; perinde ac in hoc morbo, ubi plerumque uſque adeo plus valet ſeminium, ut, vitiatis, cautis, correctiſve quantavis cura poteſtatibus, raro tamen morbus, poſtquam ſemel radicem fixit, funditus ſuccidatur. Idemque de quibuſdam aliis nervoſi generis morbis, ut paralyſi, epilepſia, et aſthmate, dicendum eſt. In quibus omnibus ea cauſae internae vis eſt, ut etiam cum ſeminium eſt, ad morbum excitandum et acceſſiones reducendas exigua poteſtatum nocentium noxa ſufficiat.

Verumenimvero caſus eſt, cui haec cauſa interna, ſive ſimpliciter remota cauſa, ſive ſeminium habenda eſt, non ſubeſt, et tota mali origo ab externis noxis pendet. Talis eſſe videtur in temperamento ſanguineo, ſaltem non melancholico, et in corporis non rigore, ſed manifeſta laxitate, hypochondriaſeos ſpecies, imperitiorem pathologiae facile deceptura, et pro vera hypochondriaſi falſura. Ita dyſpepſiae ſaepe, quid ad juſtam, uti

uti videatur, hypochondriaſin, praeter temperamentum melancholicum, deeſt? Quod cum ſit, id eſt, cum interna corporis conditio, ſupra relata, ſive cauſa ſimpliciter remota, ſive ſeminium erit, ſcilicet, ſive cum his noxis internis, ſive ſine iis, agit, deeſt; tum quaecunque externa morbi facies ſit, quantumvis veram hypochondriaſin referat, non tamen hypochondriaſis, ſed diverſus morbus, tam cauſa interna, quam curatione, item curſu et eventu, nempe, de qua modo retuli, dyſpepſia eſt. Verum, cum eaedem noxae externae ita agunt, ut internum ſtatum, ſaepius jam relatum, quodammodo inferant, hinc quoque poſſe eſſe, pro rata parte, morbum, ſcire medentem intereſt; ſiquidem talis caſus laetiorem prognoſin, facilioremque curationem, recipiet. Hic vero noxae externae, quo tempore morbum creant, non poteſtates nocentes, quippe quibus, quod conjunctum cum iis agat ſeminium deſit, ſed cauſa ſimpliciter remota, ſunt, ejuſque effectus, internus ſtatus, ſic exoriens, erit. Qui permanens et una cum ſua cauſa, noxis externis,

aut permanente, aut quovis tempore renovata, morbum conjuncto opere producens aut reducens, tandem erit, quatenus hoc fit, seminium. Quo rursus in casu externae noxae, quae alias causae simpliciter remotae, sunt, nunc cum suo effectu, statu interno, jam seminio, collatae, potestates nocentes erunt. Eaedemque, quatenus sic seminium gignunt, seminii causae habendae sunt. Seminii causa mox fusius ostendentur, a potestatibus nocentibus non operis natura, quae utrarumque communis est, sed hoc differunt, quod illae lenius, lentius, et temporis longinquitate, hae validius, citius, et uno quasi ictu, effectum, quaeque suum, edunt.

POTESTATES NOCENTES.

Potestates nocentes, sine ratione, et tanquam res verae, a scriptoribus aliisque in medicinae usu exercitis memoratae, ea fere ipsa sunt, quae in generis nervosi et firmorum simplicium diversa ab hujus morbi seminio con-

conditione, maximeque in illius atonia, horum laxitate, agentia, has augere, id eſt, atoniam et debilitatem gignere, perhibentur. Quae ipſa in ſeminio, ſupra expoſito, agentia, id quoque augent, id eſt, firmorum rigorem, et generis nervoſi mobilitatis defectum, ſive torporem, augent. Seminium autem eſt, quod illarum operis ſic effectum flectit; ſiquidem ipſae, ſaltem earum pleraeque, alias innocuae, morbo diverſo, nempe hyſteriae, remedio eſſe ſolent. Quoniam autem earundem noxarum effectus pro ſeminii ſtatu variat, ita non omnes noxae, quae in firmorum vivorum atonia, ſimplicium laxitate, agentes, atoniam et debilitatem augent, hic poteſtates nocentes ſunt; ſed eae ſolae, quae, una cum atonia firmorum ſimplicium rigorem, vivorum torporem, augent. Idemque in ſeminii cauſis diſcrimen poſtea ſuo loco memorabitur.

Poteſtates igitur nocentes hypochondriaſeos, ſeu, cum ſeminium jam ante intus exiſtit, id augentes, et ſic morbum excitantes noxae, ſunt, affectiones animi et mentis exercitatio

quae

quaedam, corporis quies, victus ratio, venus nimia, diarrhoea, et nimia alia humorum si qua jactura est. Haec in morbo idiopathico potestates nocentes, ad hunc excitandum valentes, sunt. Aliae a scriptorum vulgo memorantur; quae quid valeant, et quorsum pertineant, tum paucis differatur, cum de illis sermo absolutus fuerit.

Animi, quae nocent, affectiones graviores illae sunt, quas perturbationes dicas; cujusmodi dolor, moeror, luctus, et curae sollicitae habentur. Haec alias efficax atoniae origo, in hypochondriaco seminio torporem huic proprium, ad justi morbi modum intendunt. Neque contrariae affectiones, si eas animus hypochondriacus naturaliter caperet, non quoque, eundem, quem illae alterae, eventum trahendo, nocerent. Certe in quibusdam casibus, hypochondriasi similibus, divisum quasi annum inter utrasque ita, ut aliquamdiu hae, aliquamdiu illae, praepolleant, licet animadvertere. Quod mixtum malum, ut neque dyspepsia, neque hypochondriasis, purior est, sed modo in hanc, modo in illam magis

magis inclinat; ita quorsum affectiones incitantes tendant, quem eventum diutius continuatae trahant, luculenter ostendit. Quo enim vehementiores eae praecedunt, eo majores quoque contrariae demum sequuntur, ut facile has illarum magna ex parte effectum esse videas. Praeter affectiones mentis quoque actio nocet; qualis hujus facultatum usus et exercitatio propria est. Sic cogitatio inquieta, literarum studium, lucubratio, unde hic eruditorum morbus audit, item animi in quibuslibet rebus aut negotiis, sive ad mercaturam, sive rerum civilium administrationem pertinentibus, contentio, denique acris et magni ingenii immodice exerciti, quasi fatigatio, omnia, praecipue ubi uni tantum rei mens simul intenditur, mali hypochondriaci potens saepe causa sunt. Eodemque mens parum exercita pertinet. Haec ipsi quoque vulgo non ignorata noxa est, quod multorum, maximeque mulierum, mala hypochondriaca, otio et divitiis, quibus illos circumfluere videt, tanquam evidenti causae, tribuit.

Hae

Hae animi affectiones, et mentis ſive actiones ſive quies, animum adficiendo, hujus praecipuum inſtrumentum cerebrum primum et protinus, perque hoc et nervos media, canalem alimentarium eventu, adficiunt. Et quoniam eaedem in morbis, quos atonia purior ut cauſa continet, hanc cum laxitate augendo, manifeſte agunt, ita hic rigorem et torporem ideo augent, quia puriorem atoniam viva, laxitatem ſimplicia, firma non recipiunt. Verum eaedem ut atoniam dare ſua natura tendunt, ita quodamtenus dant. Differtque ſic, non gradu tantum, ſed quodammodo re, a ſeminio, ut mox dicetur, cauſa proxima.

Corporis quies, quatenus ipſius canalis alimentarii actionem adficit, noxae eſſe videtur. Nocet autem afficitque eam actionem, quod ſub ea alterna diaphragmatis et muſculorum abdominalium, item fibrarum ventriculi muſcularium, actio imminuitur. Hinc digerendo alimento neceſſaria actio deficit; quo facto, illud diutius in

in ventriculo retinetur, propterque retenti distentionem, fibrae longitudinales ventriculi diutius contractae tenentur. Unde circularium, quae tamdiu relaxatae, quamdiu illae contractae, permanent, actio, diutius solito suspensa, alimentum in intestina solito tardius trajicit. Hinc quoque fibrae intestinorum musculares, quibus motus peristalticus peragitur, deficiente eadem agitatione, minus valide agunt, et per se contenta tardius trajiciunt. Unde inflatio et distentio, unde aciditas, et omnes turbae, tardiorem digestionem comitantes, quales hypochondriasin insignire dictae sunt, facile exoriuntur; eoque facilius, quod minor stimulus sic addi intelligitur, cum majorem solito torpentes fibrae requirunt. Sed alio quoque nomine corporis quies nocet; quatenus, scilicet, animo ad rei aut studii dilecti cogitationi indulgendum vacuum tempus et liberam facultatem permittit. Qui quietis corporis effectus, ad animi statum, jam relatum, ut potestatem nocentem, pertinet. Sub eodem hoc capite comprehendi potest nimius corporis motus, ita brevi tempore

pore continuatus, ut eum, ob id ipsum quod nimius est, necessario quies, et nimia quoque, sequatur. Cujus idem, qui quietis absque tali initio, effectus, eadem explicatio est. Verum etiam aliter quies agere videtur; de qua actione dicendum est.

Non video a scriptoribus perspirationis incusari defectum. Qui tamen, licet seminii, propterea quod, dum integra adhuc valetudo est, ab eo atonia, saltem memorabilior, abest, minus pars esse videatur, a potestatibus nocentibus non alienus habendus est. Certe tristitia animi, mentis pigritia, et ventriculi adfectiones, in historia ante et paulo supra relatae, in morbo occurrentes, cum libera et vegeta perspiratione non bene concordant. Deficere igitur in morbo perspiratio non dissimulanda est. Sed ne in secunda valetudine multum vigere intelligitur; ut animi et ventriculi status, nondum quidem morbosus, sed tamen a sanitatis modulo deflectens, et rei ratio indicant. Quamvis enim atonia, scilicet, talis corporis status, qualis dyspepsiam, ut seminium, praecedit, vel,

vel, ut cauſa, continet, hinc abeſſe dicta eſt, tamen ſummus ſubeſſe tonus non dictus eſt. Immo ipſe torpor, quem ab hoc morbo inſeparabilem volui, aliquem infra ſummum tonum corporis ſtatum ponit. Quicquid igitur a ſummo tono recedit, quemcunque corporis ſtatum, ratione atoniae habita, torpor deſignat, hic alibi praeſens ſuam in vaſculis perſpiratoriis praeſentiam, eoque pro ratione perſpirationem minus vigentem, declarat. Si igitur, dum adhuc ſanum ſeminium, et nondum morbus, ſubeſt, perſpiratio minus iget; quid obſtat, quo minus noxae, eam magis imminuturae, opus recipiatur, et ſic morbo initium det, aut in eum finem cum aliis poteſtatibus nocentibus concurrat. Quies igitur, ſive per ſe, ſive nimio brevique motui ſuccedens, et utrobique perſpirationem imminuendo et ſedando agens, poteſtatibus nocentibus haud dubie annumeranda eſt.

Nocet quoque victus dupliciter, et copia genere, ex qua conſtat, materiae. Quod copiam attinet:

Quaecunque materia genere ſit, defectus maxime offendit. Quo fit, ut, imminuto qui ex copia diſtendente ſuppetit ſtimulo, canalis alimentarii torpor augeatur; nec, debita ſanguini humoris copia praebita, ſiccius corpus, rigidiora firma, evadant. Genus autem materiae nocens illud eſt, quod parum alit, parum humectat, concoctu difficile eſt, et in fermentationem acidam ruit. Parum alit ex genere plantarum parata. Eademque, quantum ſatis ſanguini ſupplementi non impertit, maxime, ſi ſimul ſiccior eſt, parum quoque humectat. Cujus, ut deficientis materiae, effectus eſt, corpus ſiccari, firma rigida fieri. Concoctu difficilis materia eadem eſt, praeterque eam ex carnis genere quicquid viſcidum, quicquid tenaci fibra durumque, eſt; cujuſmodi piſces, maxime ſaliti, caro quaevis diu ſuſpenſa, et fumo indurata, et ſimilia, ſunt. Haec materia ſubactu in ventriculo difficilis, eoque diutius illic retenta, eodem modo, quo corpori quietem in canali alimentario retuli, agit eaſdemque turbas concitat. Nec materiae

ſive genus, ſive copiam reſpicis, plus, quam in torpente ventriculo concoqui poteſt, ingeſtum, non eodem pertinet. Omnibus autem his alimenti peccantis rationibus communis effectus eſt, eum, quem copioſus ſanguis dat, et eum, quem ventriculi fibris idonea diſtentio admovet, ſtimulum ſubtrahendo, aut ventriculum onerando, ſedantis noxae vice fungi. Et, quia etiam ventriculo contenta, in tarda hujus actione, diutius ibidem retinentur, ea eorum pars, quae fermentationis acidae capax eſt, in hanc ſponte ruens, ſedantem noxam adauget.

Ut poteſtates relatae, ne exceptis quidem animi adfectibus et mentis actionibus, aut ipſum canalem alimentarium recta adficiendo, aut hunc communis debilitatis participem reddendo, omnes, non ſatis materiae humoribus corporis praebendo, agunt; ita quae ſequuntur, exhauriendo vaſa, idem efficiunt. Ex iis,

Somni brevitas in culpa eſt. Quae ideo nocet, quod refectionem, quam a ſomno corpus accipit, interpellat, et ſuperioris diei vigilia

vigilia et laboribus confectum illud hodiernis prius tradendo, quam ſatis recreatum ſit, atoniam quaſi continuat. Nec ſolum ſic, ſed, praecipue concoctionem perturbando, ultro in turbas, quas inidoneus victus parit, ruentem ventriculum impellit. Novi virum qui, hac brevis ſomni actione, quo tempore fere velit, arthritidis, quae in atonia ventriculi conſiſtit, acceſſionem excitare poteſt. Aliae poteſtates exhauriendo vaſa agentes, ſunt Venus, alvus fuſa, et nimia alia humorum ſi qua jactura eſt.

Venus, exiſtente intus ſeminio, potenter nocere, et inferre morbum, nota eſt. Quae, ſi etiam in ſanguineis hominibus pueriſque hypochondriaſeos imaginem, eamque ipſam pro tempore, excitat, certe in opportunis morbo haud paulo potentior fore putanda eſt. Verum eadem, licet opportunis eo minus noceat, quod hi plurimam Venerem impune ferre dicuntur, et a nulla brevi, quod ſanguineis uſu tamen venit, male adficiuntur; certe, poſtquam diuturna corpus exhauſit, et clam debilitando, effetum quaſi,

ſub

ſub hypochondriaſeos adventum, reliquit, et ſic ſeminium ex parte fecit, cum hoc jam ita factum eſt, illa tanquam poteſtas nocens ſuperaddita, ad inferendum morbum valebit. Cujuſlibet, ſed, prae caeteris genitalis, humoris exhauſtio, quoniam animum adficit, falſas in eo imagines ciet, et moeſtitia, metu, terrore, vitaeque deſperatione contriſtat; ideo ſimili modo, ac animi affectiones et nimia mentis contentio, agere, id eſt, ſedare, et totum genus nervoſum debilitare, fatenda eſt. Quod Venus, praeterquam quod, dempto humore, exſuccum corpus reddit, et hujus ſic rigorem auget, haud dubie efficit. Neque Ariſtotelis adagium, pulchre ab Hogartho in ea pictura, quam *ante* et *poſt* inſcripſit, expreſſum, " omnem animantem poſt concubitum triſtem eſſe," aliter explicabile eſt. Solum inter eas poteſtates hoc intereſt, ut animi adfectus protinus et recta ſuum inſtrumentum cerebrum, nimia Venus eventu ſolo, id adficiant; ſed, per idem quaſi medium, canalem alimentarium utraeque communiter perturbent.

Diarrhoea,

Diarrhoea, cum jam ante intus ſeminium eſt, ipſam morbi ſedem, canalem alimentarium exhauriendo, fibrarum hic muſcularium rigorem augere, et morbum inferre, poteſt. Verum, quoniam in ſeminio idem, quod in cauſa proxima, fere ſtatus, niſi quod in hac gradu auctior eſt, eoque idem fibrarum ſimplicium rigor, motricium torpor, eſſe reperitur; et fuſa alvus, quaecunque alioquin ejus cauſa ſit, fibrarum inteſtinalium auctam, ſaltem pro tempore, actionem, ſignificat; ideo haec rarius in hypochondriaſi opportunis fieri, eoque rarius quoque ad hanc excitandam pertinere, credenda eſt. Quae tamen, ut aliquando e cauſis hypochondriaco habitui inſolitis, vel etiam ſolitis, accidere, ita, cum accidit, morbum in alioquin ei opportuno excitare, poteſt. Verum, ſine ſeminio, ſive haec, ſive alia quaelibet, cauſa ſimilem quando hypochondriaſi affectionem facit, haec pro ſymptomatica habenda eſt, et ad eum morbum, cui faciendo talis cauſa accommodetur, releganda. In eo qui hypochondriaſi opportunus eſt, ſupra et

infra

infra per medicamentum purgatio ſimiliter nocet, ac alvus ſponte fuſa; et ſimilem explicationem recipit. Nec, a ſanguinis detractione quae noxa eſſe dicitur, non eodem pertinet.

His fere omnibus noxis commune eſt, ut animus adficiatur. Eoque, licet animi culpa ſeparatim memorata ſit, tamen a reliquis relatis noxis non aliena, ibi quoque, quod et factum eſt, memoranda erat. Quod cum ita ſe habeat, inde, quam ad animum mali caput pertineat, quamque is pronus ad adfectionem ſit, facile addiſcitur. Earundem aut recta, aut eventu, effectus eſt, ut in uniuſcujuſque explicatione jam fuſius diſſerui, ſedare. Et, quod non puram atoniam, qualem in dyſpepſia et ſimilibus adfectibus, gignunt, id per ſeminium efficitur; quod illarum effectum flectit, et pro firmorum ſimplicium laxitate, horum rigorem ſufficit. De hac re, ſub cauſa proxima, fuſius agetur.

Abſolutis his, quae morbi idiopathici propriae ſunt, quarumque nonnullae a ſcriptoribus

bus non ſatis animo perpenſae videntur; quae potiſſimum pro poteſtatibus nocentibus, a ſcriptoribus relatae ſint, breviſſime dicam; et ab iis, quae exhauſtione agunt, incipiam. Igitur,

Si haemorrhois, ſi immodicum menſtruorum profluvium, aut leucorrhoea, ſymptomata quaedam hypochondriaca quando trahunt; haec ab his morbis praeſentibus, abſente ſeminio, cum pendent, ad eorum rationem pertinent, et ab idiopathica hypochondriaſi aliena, male, tanquam hujus propriae, a pleriſque tractantur. Eadem in eo, qui ſeminium hypochondriaſis ſimul habet, ſimul illorum morborum aliquo laborat, ab his, tanquam poteſtatibus nocentibus oriri, et cum altero morbo hypochondriaſis miſceri, dicenda ſunt. Quae alius quoque morbi, qui pro hypochondriaſis cauſa, aut cauſam augente, habita eſt, nempe diabetis, ratio habenda eſt, quatenus, nempe, haec, ſi non quacunque illam facit, factam tamen ſervat augetque. Quo initio facto, quid de compluribus

pluribus aliis morbis, qui hypochondriaſeos cauſis remotis annumerati a pleriſque ſunt, cenſendum, quae talium cauſarum ratio habenda ſit, paucis tranſigere conabor. Ii ſunt febres intermittentes, arthritis, nephritis calculoſa, hyſteria, profluvia, maxime ſanguinea, ſuppreſſa, puſtularum et omnigenarum eruptionum repulſio, et ulcerum conglutinatio. Cui, licet non ſtatus morboſus ſit, quia tamen eodem modo agit, fonticulorum et ſataceorum, jam conſuetorum, conſolidatio adjici poteſt.

Si febres intermittentes temere aut male ſublatae quandoque hypochondriaſin excitarunt, id non intempeſtivo corticis Peruviani uſui, ut tum maxime credebatur, cum Sathliani eum damnarunt, ſed imperfectae curationi, tribuendum eſt. Quin, ne ſic quoque hypochondriaſin febrile malum abſque ſeminio relato facit. Hoc intus eſt, ut corporis ſtatus et ventriculi, prae caeteris partibus, ſymptomata ſunt indicio. Male autem curatae febris noxa ſedans eſt, id quod ejus cauſarum, ſive remotam, ſive proximam,

ſive magnum remedium ſpectas, tota ratio et certa res confirmat, eodemque ſymptomatum, de quibus modo retuli, in adfectu hypochondriaco occurrentium, natura inſpecta pertinet. Quae noxa, in generis nervoſi torpore agens, eundem effectum, ac ceterae hypochondriaſeos poteſtates nocentes, edit, ſcilicet, ut ſedet, ſedandoque torporem illum augeat. Quod ubi fit, hypochondriaſis morbus erit. Contra, ſi torpor, id eſt, ſeminium hypochondriacum proprium, abeſt, adeſtve diverſum, ſcilicet, purior, qualis dyſpepſiam cauſa continet, atonia ; tum cauſae remotae effectus erit atoniam augere, et pro hypochondriaſi dyſpepſiam efficere.

Cum arthritide quoque, cauſae et effectus ratione, hypochondriaſis conjuncta quibuſdam viſa eſt, et a ſymptomatibus hujus illius adventus praenunciari. Quod utique nihil novi aut inſoliti eſt ; ſiquidem primam arthritidis, praecipue, quae aliquoties repetivit, acceſſionem comitari ſolita ſymptomata dyſpepſiae ſunt. Ad quae, ſi temperamentum melancholicum et triſtitia adduntur, quod

quod fieri etiam in arthritide poteſt, quae non uno eodemque temperamento ſemper continetur, nihil, quo minus hujus initium adfectio hypochondriaca ſit, aut uterque morbus conjungatur, obſtabit. Atque etiam, ubi id fit, arthritis, quae hypochondriaſin ſequitur, non tamen hujus cauſa dicenda eſt; cum non fit, abſuntque temperamentum et triſtitia, arthritis pura erit, neque huic ſoli imputanda videntur, quae ei cum altero morbo communia ſunt. Fierique poteſt, ut veterans jam arthritis, et atonica facta, cum minus in articulo, in ventriculo magis, ſe oſtendit, inter alias quas trahit turbas, hypochondriaſis formam aſſumat. Sed ne tum quidem arthritis pro hypochondriaſeos cauſa, ſed pro eo, quod eſt, nempe, etiam arthritide, ſed atonica, id eſt, magis ſub debilitatis, quam inflammationis, forma adparente, et ventriculum magis quam articulum adficiente, habenda eſt. Cui addendum eſt, torpore cum minore plerumque atonia conjuncto, ab arthritide, quae in puriore atonia conſiſtit, hypochondriaſin diſtenguendam, minuſque

minuſque hujus cauſis, quia ſine rigore eſſe ſolet, arthritidem adcenſendam.

Simili modo affectiones quaedam ventriculi longiores, et generis quoque dyſpeptici, nephritidi calculoſae interdum praecedunt. Quae una nota eſt, qua haec a nephritide vera, cui acuti ventriculi adfectus praeeunt, diſtinguatur. Sed illae affectiones ventriculi longiores, quoniam a renis affectione, quamvis una cum iis ſaepe non adparente, pendent, certe hypochondriacae, id eſt, a cauſa hypochondriaſin continente, pendentes, non exiſtimandae ſunt. Quod et principis morbi eventus docet, quo ſublato, id eſt, calculo a rene ad veſicam tranſmiſſo, protinus illae deſinunt.

Igitur neque arthritis, neque calculus in rene, poteſtatibus hypochondriaſin in proprio ſuo feminio excitantibus, quae in conditione corporis ab hoc diverſa conſiſtunt, perque hanc ſibi propria ſymptomata, non vera hypochondriaca, concitant, annumeranda videntur. Neque

Hyſteria,

Hysteria, quae potestatibus hypochondriasin excitantibus adnumerari solita est, ad id causarum genus attinet. Quae, quoniam in diverso seminio, quod, procedentibus morbo et aetate, et corpore per remedia exhausto, in hypochondriacum paulatim degenerat, posita est, ad seminii causas, sed non potestates hic nocentes, quae seminium jam ante intus et paratum esse ponunt, pertinet.

Si profluvia, maxime sanguinea, suppressa, pustularum et omnigenarum eruptionum repulsio et ulcerum conglutinatio, hypochondriaseos speciem, subito incidentia, excitant; is casus vix pro vera et simplice hypochondriasi habendus est; quia, quamvis seminium hypochondriacum subest, tamen tantummodo morborum, et diversorum quidem, conjunctio; et, si illud deest, affectio diversi morbi symptomatica, habendus est. Quem igitur, ceu alienum a proposito nostro, omitterem, nisi quod, quatenus in seminio suo affectio hypochondriaca apparet, ejus explicatio, ad simplicem et genuinum morbum porro illustrandum, pertinere mihi visa est.

Hi

Hi adfectus, vaſa implendo agere, a pleriſque exiſtimati ſunt. Quod in ſeminio hypochondriaco vero, cujus ratio ſola ad nos attinet, ubi vaſa abundantiam haud facile capiunt, vix fieri credendum eſt, eoque minus, quod ea humoris ſuppreſſi copia non eſt, quae implendo agere poſſit. Verum iidem, maximeque ſanguinea profluvia, et ex his prae caeteris menſtrua, ſubito ſuppreſſa, quae etiam hyſteriam excitantibus noxis annumerantur, in temperamento ſanguineo, habitu mobili, pleno ac irritabili, et aetate florente, libramen ſubito mutando, et ſic genus nervoſum perturbando, et ad abnormes motus, in nimia ejus actione poſitos, perpellendo, nocent; cum, e contrario, temperamentum melancholicum et habitus torpens, ea aetate, qua vires, natura ante impigrae, etiam pigreſcunt, efficiant ut, per eaſdem noxas, genus nervoſum ſubita perturbetur mutatione, et oppreſſa aut aliter affecta motus ſuos imminuat, aut aegrius excitet. Hinc motus in canali alimentario, qui huic offenſae maxime opportuni ſunt, et tentato la-

tiu

tius genere nervoſo, alii quoque ſecus, et ſpeciatim inſolito languore, adficiuntur. Quo autem modo poteſtas nervoſa ſic quarundam partium motus tenore adficiatur, ut aliarum motum imminuat, perinde ac in hoc caſu, et non contra augeat, ſpaſmoſque aut convulſiones, ut in epilepſia et hyſteria, concitet, dici aliter nequit, niſi, ut, quod jam factum eſt, temperamenti, habitus et aetatis pigritiae et torpori, omnes affectiones nervoſas eo, quo ſponte ipſae pronae ſunt, impellenti, illud tribuas. Quae explicatio puſtularum et eruptionum ſuppreſſioni certius etiam convenit, niſi quod harum materia recta ſedare videtur; fonticulorumque et ſetaceorum exſiccatorum actionem comprehendit. Non enim, ut creditum eſt, has ſuppreſſiones copia agere, et tantulum humoris, quantulum ſic retinetur, eum, qui intus eſt, augendo, quidlibet majoris momenti efficere poſſe, credendum eſt. Harum igitur noxarum effectus idem eſſe videtur, ac reliquarum hic poteſtatum nocentium, nempe, ad ſummum ſedans, et doctrinam jam ante traditam illuſtrat.

luſtrat. Sed, ut ante monitum eſt, eas vix hypochondriaſeos idiopathicae poteſtatum nocentium in numero eſſe, obſervare operae pretium eſt.

Omnes poteſtates nocentes, quatenus juſtae ſunt, id eſt, ad juſtam hypochondriaſin creandam, exiſtente jam ante intus ſeminio, pertinent, ut ſigillatim jam demonſtratum eſt, ſedando, et ſic ſeminium, quod non in pura atonia tamen conſtat, augendo, agunt: Sed non omnia ſedantia ſic agunt; aut aliter omnes dyſpepſiae neuroſiumque, in puriore atonia poſitarum, hujus quoque morbi, poteſtates nocentes forent. Differunt autem hoc, quod, cum fibrarum ſimplicium rigor hypochondriaco ſeminio neceſſarius ſit, laxantia, quae ad hunc tollendum, non fovendum, pertinent, ab hypochondriaſi neceſſario abſunt, illis alteris adſunt affectionibus. Illa igitur corpori alicui, cui jam ſeminium ſubeſt, admotae, hoc ad juſti morbi modum augent, id eſt, in cauſam proximam vertunt.

SE-

SEMINII ACQUISITI CAUSÆ.

Verum non ſemper ita validum ſeminium eſt, ut poteſtates nocentes ei additae morbum faciant; ſaepe aliquibus noxis opus eſt, quibus ſeminium e debili validum fiat, vel etiam forſitan aliquando ex toto creetur. Quae noxae ideo ſeminii acquiſiti cauſae dicendae ſunt. Quantumquantum valeat, ad ſeminium dandum, temperamentum ſupra relatum, ſolum tamen non valet. Et, quoniam priore vitae ſpatio ſine effectu eſt, ita inde aliquid praeterea neceſſarium intelligitur. Id habitus quidam eſt, aetatis progreſſu acquiſitus. Is habitus in firmorum ſimplicium denſitate, expreſſis indies magis per vitae actiones ſuccis, ad rigorem, toties memoratum, propius accedente, conſiſtit. Dum igitur immobile temperamentum perſtat, habitum tamen, qui ſic vitae actionibus et multis varie caſibus afficitur, his mutatis aut flexis, mutari aut flecti poſſe, perſpicuum eſt. Et

ex hoc principio explicabile eſt, quod aut prohiberi futurus aut leniri praeſens morbus, dempta poteſtatum nocentium ratione, poteſt; quodque, iis actionibus caſibuſve, quibus aliqua ex parte inducitur, et pro certo exaſperatur, ſeminium, neglectis, ſaepe hoc eo magnitudinis pervenit, adeoque exquiſitum redditur, ut minore poteſtatum nocentium vi aut nulla, morbus inchoetur. Secernere igitur, ſeminii cauſarum nomine, noxas, illud ex parte aut ex toto facientes, tam ad dignoſcendam morbi naturam, quam ad hunc curandum, operae certe pretium eſt.

Eae autem noxae illa ipſa fere ſunt, quae poteſtatum nocentium titulo tractavi, et partim ad vitae actiones caſuſve, partim ad morbos redeunt. Quas ideo eodem, quo ante, ordine exequar, et ab animi adfectibus et mentis actionibus incipiam.

Affectiones animi mentiſque actiones, quae hic nocent, ſunt eae fere ipſae, quae relatae ſunt, eodemque modo, nempe, ſedando, agunt. Cum enim ad triſtitiam animus, ad eundem cogitandi tenorem mens, vergunt,

gunt, utrivis vel utrique indulgere, in quam utique indulgentiam proni huic morbo opportuni ſunt, eſt naturalem animi habitum augere, et eatenus ſedantem effectum relinquere. Sed hic animi et mentis adfectus non uno quaſi ictu agit, nec ſemel habitum tangit, paulatim agit, conſuetudine habitum flectit, et eo, quo naturaliter vergit, impellit. Affectiones, quae ſic agunt, nempe, ſupra memoratas, ſedare manifeſtum eſt. Nec, quomodo etiam excitantes per longas moras tandem in contrarias prolabantur, difficile ei conceptu erit, qui hinc rem veram animadverterit, illinc principium illud, nimiam generis nervoſi actionem lege naturae in deficientem verti, addidiſcerit. Sed, ut ſupra dictum eſt, hae excitantes affectiones, non tam in hypochondriaſi pura, quam in mixto malo, et hujus ſaepe quidem participe, agunt; eoque minus hic quoque ad noſtrum propoſitum pertinent. Sed, quia argumentum tamen illuſtrant, ideo earum mentio non erat omittenda. Quod ad mentis actionem, nimis in una re aut ſtudio morantem,

rantem, attinet, eam non tam explicare audebo; quis enim adeo temerarius fuerit, ut mentis operum cauſam explicandam in ſe ſuſcipiat? quam re vera contentus ero. Ita nemo, in ſtudiis perſequendis paulo magis verſatus, ignorat, animum, poſtquam cujuſlibet unius rei cogitatione longiore delaſſatus ſit, alterius ſolere refici. Quae res, quanto magis ad ſedandum unius, quam plurium, rerum cogitatio pertineat, argumento eſt. Supra, temperamentum melancholicum et contrarium ſanguineum inter ſe comparando, dici potuit, illo praeditos rei mathematicae et ſcientiis; quibus hoc inſit, literis elegantioribus percolendis, magis idoneos eſſe. Sed ad illas haud par animi vis, actio minor, quam ad has requiritur. Quippe enim, qui in problemate aliquo mathematico occupatur, is unam tantum animo ſimul notionem, excluſis caute aliis omnibus, ciet; a qua tarde et caute, ne in ratiocinando erret, ad proximam procedit, et ſic deinde, donec ad id, quod, ut aiunt, erat demonſtrandum, perveniat. Contra, in diverſo

cogitationis

cogitationis genere, licet ſingulae quoque notiones ſimul ad animum occurrant, hae tamen adeo raptim et celeriter inter ſe ſuccedunt, ut tanquam plures concurrentes ipſi animo, in quo verſantur, videantur. Neque aliud quicquam difficilius cogitanti judicium eſt, quam non plures, ſed ſingulas tantum, ſimul cieri in qualibet cogitatione notiones, diſcernere. Haec ſpecies igitur ſic tarde, caute et ſigillatim de ſingulis rei cogitatae partibus cogitandi, eſt ad ſummam in eo, cui proclivis eſt, minor cogitationis quantitas, et, quamvis aſſidue, minus tamen totas animi vires exerceri, ponit. Et quantum notionum varietatem cieri prohibet, numerum quoque citarum imminuit. Hinc mentis mobilitas, qua ab aliis ad alias notiones, haud concipienda velocitate, illa pervolat, imminuitur, et ipſa quaſi figitur. Qui ſedans igitur effectus eſt. Ejuſdem vero rei conſuetudo, quo fixiorem uni cuivis rerum ſpeciei habitum demum creat, eo certius ad ſummam ſedantem eum conſtituit. Uno verbo, eorum, qui temperamento melancholico praediti

praediti ſunt, cogitandi et amandi vis ſimillis eſt, et, ut nunquam multum quovis uno tempore, neque ſupra vires, aut cogitant aut amant, ita in utroque diu perſtant. Totus igitur iſtarum animi affectionum et mentis actionum effectus eſt, eum animi ſtatum, qui ſedans dici poteſt, dare, et conſimili corpus modo adficere.

Corporis autem quies, quatenus mobilitatem motus, torporem quies, ingenerant, eatenus ad ſtatum, in quo ſeminium poſitum eſt, faciendum augendumve pertinet. Eademque, firmorum rigorem faciendo, eodem pertinet. Verum enimvero corporis quies, quatenus muſculorum toto corpore, qui ſub corporis motu univerſi fere agunt, et, percitato in venis compreſſione ſua ſanguine, per cor et arterias univerſas harum actionem et tonum augent, relaxationem ponit, ubique tardatum ſanguinem, ubique vaſculorum languentem actionem, eoque ubique quoque, ſed, prae caeteris, vaſculorum perſpiratoriorum, atoniam ſignificat. Quae atonia non tam pura eſt, utpote quae cum

cum firmorum ſimplicium rigore, modo et ſaepe relato, non cum laxitate, puram atoniam perpetuo comitante, conjungatur. Quoniam igitur quietis corporis effectus eſt, torporem, rigorem, et id atoniae, quod cum his conſiſtere queat, creare; ideo quam potens ad faciendum augendumve ſeminium hujus morbi eadem conſueta ſit, haud difficile intellectu eſt. Ejuſdem conſuetudo, dilectae cogitandi ſpeciei copiam et facultatem praebendo, ſtatus mentis, jam relati, effectum etiam adauget.

Victus, conſuetudine nocens, idem fere, qui ſupra comprehenſus eſt, et eodem modo, ſed vi minore, agit. Cujus, quatenus ſiccior aut parcior juſto eſt, minuſve alimenti praebet, effectus omnis, denegatis neceſſariis ſuccis, firmorum ſimplicium rigorem, vivorum, qualis rigori convenit, atoniam, paulatim et quaſi gradatim inducere, et ſic ſeminium facere aut augere eſt. Ejuſdem rigorem faciens affectus, huic morbo proprius, fere ſedans eſt, qui ei cum omnibus affectibus,

qui

qui in atonia puriore consistunt, quales sunt dyspepsia, hysteria, ad atonicam inclinans, arthritis, et chlorosis, quarum princeps dyspepsia est, communis est. Ut in victu, quicquid atoniam cum rigore gignit, hic ad rem est, seminiique de quo agitur causa evadit; ita hinc alienum est, quicquid in victu atoniam puriorem, nempe, cum laxitate conjunctam, efficit. Eoque laxantia, ultra tonum distendendo debilitantia, insignius genus nervosum sedantia, inflationemve protinus, et alias in ipso morbo turbas concitantia, aut acidam fermentationem foventia, quae potens atonicorum morborum origo sunt, et hujus potestatibus nocentibus potius annumeranda sunt, ad has seminii hypochondriaci causas haud ita pertinent.

Huc quoque somni ratio pertinet. Qui, praecipue brevior debito, secretionum, quae copiosiores in vigilia sunt, jactura, et quod longa vigilia, nimis diu excitum genus nervosum servat, in consuetudinem deductus, rigorem gignit, et atoniam infert. Quae somni

ſomni menſura parcior, eo nocentior huic morbo opportunis eſt, quod plus temporis quotidie vigilandi praebet, quo reliquae ſeminii cauſae agant.

Venus, quam diutius hypochondriaſi opportuni, quam diverſo temperamento praediti, ferre dicuntur; tamen continuata, et in longum uſum deducta, corpus humore genitali exhauriendo, et ſic rigorem faciendo et genus nervoſum debilitando, eo tempore, quo hypochondriaſis occurrit, opportunam ei conditionem creat.

Profluviorum et ſecretionum, de quibus ſupra memini, jactura longa eodem modo agit, rigorem creans et tonum imminuens.

Et, ſi quando haemorrhois, menorrhagia, et leucorrhoea, diu permanentes, talem corporis ſtatum, qualis hypochondriacum ſeminium eſt, ipſae ſolutae poſt ſe relinquunt; eae pro ſeminii cauſis habendae ſunt, ſimiliterque noxis, jam exhauriendo agere dictis, agunt. Quibus ſi praeſentibus, ſive ſeminium, ſive ſymptomata hypochondriaca,

commixta videntur, talis affectio compoſita eſt, et ad noſtram quaeſtionem non attinet.

Ex morbis ſupra relatis, arthritis et nephritis calculoſa, ob eandem cauſam, ob quam e poteſtatum nocentium numero rejectae ſunt, hinc quoque rejiciendae videntur; et propter hoc inſuper, quod, etiamſi aliquid, ut poteſtates nocentes, valerent, non ita diuturno prius opere agunt, dein decedunt ſolutae, ut talem corporis ſtatum, qualis hic ſeminium eſt, a diverſo morbo purum, relinquant. Et certe alterius morbi praeſentia non poteſt alterius ſeminium dici.

Ex his tamen hyſteria excipienda eſt. Quae diu ante tempus, quo hypochondriaſis incidere ſolet, permanens, temperamento ei proprio paulatim flectente, et ad id, in quo hypochondriaſis poſita eſt, propius accedente, magiſque, propter remediorum, quae in ejus curationem adhibentur, effectum, quo exhauritur et rigidius fit corpus, poteſt aliquando habitum relinquere, ſeminio hic congruentem. Quod eo facilius fiet, ſi jam ab hyſteriae initio minus pure ſanguineum

tem-

temperamentum fuerit. Nam, ut ante alicubi monitum est, licet in nostris corporibus immutabile maxime et constantissimum temperamentum sit, hoc, progrediente tamen aetate, aliquantum flectitur, et inde nascens habitus semper una cum adjuncto sibi eo conjungendus est; si ejus, quod temperamentum dici solet, effectus, quantum morbos et horum seminia respicit, rite aestimetur. Sic neque posteriore vitae dimidio sanguineum, neque priore melancholicum, sibi quodque proprios morbos gignit, quia huic nondum accessit, illi decessit, habitus necessarius. Denique, hoc habitus efficit, ut, quicquid verum temperamentum sit, id prima aetate, in sanguineum, postrema in melancholicum magis inclinans, utriusque excessum corrigat.

CAUSA PROXIMA.

Ut in plerisque morbis seminium et causa proxima idem corporis status sunt, gradu tantum differentes, quam differentiam potestatum nocentium effectus superaddit; ita idem,

idem, aliqua ex parte, in hoc caſu occurrit. Nam, ut in ſeminio, ita hic quoque, torpor, partim a firmorum ſimplicium rigore, partim a liquore nervoſo, facili meatui minus habili, pendens, ſubeſt. Idemque gradu auctus proximam cauſam facit, ſed ſuperaddito, ex poteſtatum nocentium effectu, quod a ſeminio abeſt, atoniae aliquanto. Quod verum eſſe, praeter poteſtatum nocentium explicationem, jam fuſius traditam, et rerum verarum, quibus ea innititur, fidem, ſymptomata, quae a cauſa proxima protinus pendere intelliguntur, tam in canali alimentario, quam in reliquo toto corpore, atoniam et debilitatem haud ambigue indicantia, declarunt. Quid enim ſymptomata, in ipſam definitionem recepta, ſi " torporem in temperamento melancholico" excipias, omnia dyſpepſiae, quam totam in puriore debilitate et atonia poſitam nemo dubitat, cum hypochondriaſi commmunia, aliud, niſi huic quoque debilitatem et atoniam, ſed firmorum ſimplicium ſtatu quodammodo flexam, ſubeſſe, plane docent?

FINIS.

Patri suo optimo, atque carissimo,

Admodum reverendo,

ROBERTO BAYNES,

Rectori Stonham Aspal,

In comitatu Suffolciensi

Pacis praefecto,

Exiguum licet grati animi, et observantiae,

Testimonium;

Nec non

EDVARDO BROUGHTON,

ARMIGERO,

Ob benignitatem et amicitiam,

Quibus eum semper tractavit,

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Mr Carr
from
the Author